



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio CXXVI. Argumentum. Demonstratur, quibus industriis, seu rationibus evelli possit à populo Vitium detractationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

8 molendini, quæ immobilis est, quæ cum stat fixa, se non movens, tunc grana in molendino non conteruntur; ut locutus est Christus Dominus Sanctæ Birgittæ lib. 4. cap. 97. Revelation.

D E C I S I O CXXV.

A R G U M E N T U M.

Demonstratur, quot, & quibus rationibus debeat quilibet Confessarius singulis diebus determinatè legere tum Spiritualem aliquem librum, tum alterum librum de casibus conscientie pertractantem?

S U M M A R I U M.

1. Lectionis spiritualis, & studii Utilitas, & Necessitas.
2. Confessarius quomodo evadat prudens & devotus?
3. Penitens instruendi in devotione.
4. Docere alios juvat docentem.
5. Ignorantia Confessarii potest reddere absolutionem invalidam.
6. Episcopi approbantes Confessarios ignorantes peccant mortaliter.

1 Plures plura dixere: sed à pluribus dicta rediguntur ad duas fortissimas rationes, videlicet quoad lectionem Spirituales libri ob Utilitatem; quò verò ad lectionem libri Theologiæ Moralis, seu casuum conscientie ob Necessitatem.

Quoad Primum. Utilitas est duplex. Una ipsius Confessarii, Altera Penitentium

2 Utilitas Confessarii resultat ex lectione quotidiana libri alicujus Spiritualis, quia cum ipse esse debeat doctus, prudens, & devotus. Tolet. lib. 3. cap. 15. Reginald. tom. 1. toto lib. 2. talis fit assidue legendo libros sacros, pios ac Spirituales, ut probat. P. Ludovic. Granata in Proem. Memorialis Vitæ Christi. pag. 5. & part. 1. tract. 4. Vers. La Nona cosa, & in Addit. ad idem Memor. tract. 1. in proem. Nam, ut ait D. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 20. Christum alloquimur, cum oramus: illum audimus, cum divina legimus oracula. Unde Apostolus scribit Timotheo. Attende lectioni, 1. Tim. 4. Et Dominus in Evangelio: Scrutamini Scripturas. Joan. 5. Ideò Confessarii lectionibus spiritualibus quotidie vacantibus mirifice erudiuntur in virtutibus, in cognitione cœlestium & amore æternitatis.

3 Utilitas Penitentium; quia tot, & tanti sunt, de quibus dici potest, Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Psalm. 81. 5. scilicet quoad amorem Dei, & virtutum Evangelicarum cognitionem, & exercitium; unde eos oportet instrui, atque erudi à Confessariis. Reginald. d. tom. 1. lib. 2. cap. 12. Quod perficere non possunt, nisi ipsi studeant, legant, & se ipsos instruant, & quod didicerint legendo, suaviter insinuent, & communicent Penitentibus, ad instar nutricis, quæ cibum sumit in se, & conversum in dulce lac tribuit infantibus, juxta illud Divi Petri apostoli 1. Petr. 2. 2. Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite. Quapropter ab Apostolo post lectionem iungitur exhortatio, & doctrina, Attende lectioni, exhortationi, & doctrina. 1. Tim. 4. Quia perfectus Confessarius non est contentus audire penitentem, absolvere, & dimittere (ut non pauci, neque laudandi, neque imitandi faciunt) sed erudire,

instruere, & ad virtutes conatur excitare, juxta illud: Labia justî erudiant plurimos. Prov. 10. 21. Et in corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quoque erudiet. Prov. 14. 33. Et ex hoc charitatis, & eruditionis officio magnum bonum proficiscitur. Hoc enim faciens, & seipsum saluum faciet, & eos, qui audiunt eum. 1. Tim. 4. & maximum præmium, testante Spiritu Sancto, quòd Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates. Dan. 12. 3.

Quoad Secundum. Necessitas quotidie legendi librum de Conscientiæ casibus pertractantem resultat pariter ex duplici motivo; Uno penitentium, Altero ejusdem Confessarii. Motivum penitentium est nullitas, & invaliditas Confessionis factæ Confessario ignoranti, ac nescienti vel absolvere, vel debitam satisfactionem injungere, ita ut illa sit reiteranda. Riccard. in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 8. Adrian. Gabr. & Vasquez quos citat, & sequitur Eminentiss. Cardin. de Laurza in 4. Sent. tom. 2. de Sacram. Penit. disp. 20. num. 28. & seq. Motivum Confessarii supradictæ Necessitatis est, quia nisi doctus fuerit, non potest licitè Sacramentum Penitentiae ministrare, & ministrando peccat mortaliter; nam juxta Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. plura tenetur scire; quæ referuntur ab Illustriss. Maraviglia Episcop. Novar. in libro Ammaestram. del Clero Am. 7. 8. 12. 13. & 14. & ab Eminentiss. Cardin. de Laurza dist. tom. 2. disp. 20. num. 53. his Verbis:

Collige autem ex his, Sacerdotem ignarum & nescientem distinguere mortale à veniali, nec mortale à mortali, neque circumstantias peccatorum mutantium species, graviter peccare, quoties hoc ministerium exercet (excepto casu extrema necessitatis) toties enim exponit se periculo sacrilegii, ut scilicet solvat, quos non potest, & liget præter formam debitam; ideoque non censeri idoneum pro hoc ministerio, ut Benedictus XI. Extrav. Inter cunctas, de Privileg. clarè docet, explicans illud Osee 4. Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt de ore ejus; alias (subdit Pontifex) pro ut ad eum pertinet, inter peccatum, & peccatum non potest discernere. Unde infero, gravissimè etiam peccare Episcopos, & alios Prælatos, qui tales Sacerdotes suis ovibus præficiunt.

Quam purpurati, & eruditissimi Doctoris sententiam ab omnibus perpendi cupit Curia Patavina, & ab illis præcipuè, qui in eam, Capellanos imperitos ab hoc ministerio repellentem, blaterant. Legantur meæ Decisiones de Sacramento Penitentiae, & præcipuè Decis. 31. num. 16. & Decis. 37. num. 18.

D E C I S I O CXXVI.

A R G U M E N T U M.

Demonstratur, quibus industriis, seu rationibus evelli possit à populo Vitiū detractio- nis?

S U M M A R I U M.

1. Detractio quid, & quotuplex sit?
2. Detractione totum penè genus humanum periuratur.
3. Detractio semper tres personas offendit.
4. Detractores tenentur famam restituere.
5. Detrahere alteri signum est damnationis.

6. De

6. Detractorum punitiones.
7. Lingua caute custodienda.
8. Detractores corriguntur Oratione publica pro eis facta.
9. Detractionis Vitium libri impugnantes.

EX multiplici numero responsionum, selecta fuerunt.

1. Prima Frequenter explicare tanti vitii naturam, qualitatem, ac modos, quibus in illud homines impingunt, videlicet, quod *Detractio sit ablatio fama, quæ committitur, vel dicendo malum de Proximo, & hoc quatuor modis, juxta illud Imponens, Augens, Manifestans, in Mala vertens, aut tacendo bonum, quatuor pariter modis, hoc carmine contentis: Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisit. Toletan. lib. 5. cap. 6.*
2. Secunda: Notam facere gravitatem ejusdem Vitii, quod est mortale ex genere suo contra justitiam, pejus quam furtum, nam fama præstantior est pecuniis; & ideo Glossa super illud. Prov. 24. *Cum detractoribus ne commiscearis dicat, Hoc specialiter vitio penè totum genus humanum periclitatur. Tolet. d. lib. 5. cap. 64.*
3. Tertia. Docere, hoc crimine semper offendit tres personas eodem tempore: illam, cui detrahitur in honore, & detrahentem, ac ei aures præbentem in anima; unde S. Bernard. lib. 2. de consid. in fine ait: *Detrahente, aut detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.*
4. Quarta. Inculcare incessanter, tum in publicis concionibus, tum in Sacramentalibus Confessionibus, obligationem restituendi famam; in qua, quia multi deficiunt, pauci salvantur; idcirco Israelitæ, qui murmuraverunt in deserto Num. 11. non sunt ingressi terram promissionis in signum, quod in Terram viventium, id est in Cælum non recipiuntur Murmuratores: nam Detractores Deo odibiles. Rom. 1. 39. Et neque maledicti, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. 10.
5. Quinta. Et hujus comminationis fortissimum adduci potest argumentum, quod fit à P. Paulo Segneri Soc. Jesu in præclaro suo opusculo Italico *Il Confessore instruito cap. 10. in fin. his Verbis: A questi rappresentate, che uno de più chiari segni di essere prescinto è mancare di carità: giacchè, se come Santo Agostino raccolse da S. Giovanni, Sola dilectio discernit inter filios Dei, & inter filios diaboli. Ma come in essi può essere Carità, se la Carità ricuopre gl' altrui peccati ed essi gli scoprono? Charitas operit multitudinem peccatorum.*
6. Sexta. Narrandas esse punitiones tum missas à Cælo à Deo contra Murmuratores, videlicet Ignem, lepram, aperationem Terræ, ut habetur Num. cap. 11. cap. 12. cap. 16. tum aliàs permultas relatas in Sylva Histor. Jo. Bapt. Matth. part. 1. lib. 6. tit. 52. & 53. & in Admir. Orbis Christ. tom. 1. lib. 2. pag. 99. num. 8. & 9.
7. Septimò. Commendandam potissimum virtutem silentii, & linguæ custodiam, juxta præceptum Apostoli Jac. 3. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum: & exemplum Regii Prophetæ Psalm. 140. 3. orantis Pone Domine custodiam ori meo: de qua silentii virtute, & linguæ custodia mirifice scripsit P. Rodriguez in Exercit. Perfect. p. 2. tract. 2.*
8. Octava. Recitare facere singulis diebus festiuis à populo post Missam Parochialem Unum Pater, & Ave pro conversione, & emendatione

malarum linguarum; remanet enim in plebe impressa gravitas hujus facinoris, & sollicitior est in tacendo.

Nona plurima alia argumenta, eaque pulcherrima in hanc rem desumenda esse ab Autoribus de hoc vitio tractantibus, quos legere pigere non debet Parochos, & præcipue Marchantium in Horto Pastorum lib. 3. pag. 383. Caramelem in Theolog. fundam. lib. 2. fund. 55. num. 1579. Plateam Universalem Garzonii disc. 89. Polyantheam Verb. Detractio. P. Drexelium de Viriis Lingua. P. Didacum Stellam de Vanitat. Mund. part. 3. cap. 32. ac passim alios.

DECISIO CXXVII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, quot, & quibus rationibus debeant Parochi personaliter exercere curam animarum, & administrare SS. Sacramenta per se ipsos, non autem per capellanum?

SUMMARIUM.

1. Parochi per se, & non per alios curam animarum gerunt ex Conc. Trident. & num. 3.
2. Canones id ipsum præcipientes.
3. Industria persona ubi est electa, opus agitur personaliter.
4. Beneficium datur propter officium.
5. Residentia non debet esse tantum materialis.
6. Parochum non esse, & non operari idem est.
7. Pastores, Duces, & Medici personaliter officium suum faciunt.
8. Meritum ibi majus, ubi major labor.
9. Doctorum opinio, quod Parochus per se curam exercent.

Relata fuerunt rationes decem.

Prima. Quia Jure Divino sunt obligati; ut expresse testatur Sacrum Tridentinum Concilium Sess. 23. de ref. cap. 1. his verbis: *Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbiq; divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c.*

Secunda. Quia Sacri Canones sic disponunt, ut legitur in cap. Exterminanda 30. §. Qui verò. De Præbenda ubi ita: *Qui verò parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat. Idem statutum est in cap. Quia nonnulli 3. ibi: talis ad hoc persona queratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere: & in cap. Relatum 4. ibi: & curam ejus per se valeat exercere. De Clericis non resident.*

Tertia. Quia sic jubet idem Sacrum Trident. Concil. Sess. 7. de ref. cap. 3. ibi: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, &c. conferantur.*

Quarta. Quia de Jure civili quando electa est industria personæ, opus est personaliter exequendum. l. Inter artifices 21. ff. de Solutionibus. Sed in Ecclesiis Parochialibus electa censetur industria personæ ipsius Parochi. Possesvin. de Offic. Curat. cap. 1. num. 8.

Quinta. Quia sic obligatur Parochus ex justitia commutativa; nam ei dantur fructus Parochiæ, ut ipse præstet personales operas suas Parochianis, juxta illud: *Beneficium datur propter Officium.*